Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2853
Quelle:
Copyright:

Thes. Anecd. T. IV. P. 2. col. 41. Verum collatione instituta vidi non hic *Bernonem* loqui, sed alium, qui *Bernonis* Epistolam probe legisset, ejusque cum autoritatibus, tum rationibus uteretur, quod et c. priore testatur, dum ait: *Si quis uero de his omnibus latius considerare voluerit. in libro amelarii pleniter invenire poterit. Item in scriptis domni bern reuerentissimi, et doctissimi abbatis Herigerii* &c. Dixi duobus *saltem* Capitibus prolixiorem esse *Micrologum* nostrum; accedit enim, quamvis in praevio Indiculo non notata, Disquisitio *De sancto andrea*, utrum videlicet Communio in Missa Vigiliarum et Natalis ejus accipienda sit ex Evangelio diei, an vero Communio Missae Vigiliarum sit sumenda ex Evangelio Natalis et vicissim, quod Nostro *concambire* dicitur. Atque pro hoc *Concambio* stat ille, licet in Festo saltem *Andreae* hodie contrarium obtineat. Initium Disquisitionis hujus est: *Festum sancti andreę apostoli persepe infra aduentum domini occurrit* &c. Excipiunt illam Ritus ordinandi Officium in *Dedicatione Ecclesiae infra pascha*, Ritus Officii in II. *Vesperis de Apost. Mart. Conf. Virg.* et *Dedicatione*. Quando dicendum *Credo*. De diversitate *Praefationum* pro ratione Festorum. De Numero septenario *Scrutiniorum*, *Exorcismorum*, *Donorum Baptismi* &c. Demum *Canon* quidam *de Excommunicatis*, quae, an ad *Micrologum* pertineant, an ex ingenio Librarii adjecta sint, Lectoribus dispiciendum relinquo.

II. *fol.* 35. p. 2. *Incipit epistola de christo de die dominico.* Epistolam similem exhibet *Fabricius P. I. Cod. Apocr. N. T. p.* 309. ut a *Christo* scriptam; verum cum Nostra praesens finiat: *Ego petrus episcopus iuro uobis omnibus per deum qui fecit celum et terram et omnia quę in eis sunt. et per ihesum christum*, non ausus est Librarius has nugas dicere *a Christo* scriptas. Inculcatur vero illis Sabbati christiani observatio.

III. *fol.* 36. p. 2. *Incipit breuiarium de sanctis per totum annum.* Indicantur videlicet *Epistolae* sive *Lectiones* et *Evangelia* ducto initio *De sancto Silvestro papa* ita: *Lect. Ecce sacerdos. Ev. Homo quidam peregre.* Finis in *Nat. S. Thomae* Ap. Plurimi Germaniae Sancti in his oris Codicem scriptum probant.

IV. *fol.* 41. *Breuiarium.* Sub hac inscriptione aliud *Micrologi* comparet Exemplar, quod tamen Materiarum et Capitum, quae solum unciali litera indicantur, ordine ab *Hittorpiano* Impresso prorsus abit. Facit enim initium a C. XXXVII. quod ibi inscribitur: *De Officio dum medium Silentium*, et inde decurrit usque ad finem seu C. LXII. quo terminato succedunt Capita a XXIV. ad XXXVII. et tum demum C. I. usque ad C. XXIV. Trajectionis hujus caussam non adsequor; neque enim Materiae nexus servatus est. Interim Lectio magis cum Impressis conspirat, quam cum Exemplo

initio